



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

11. An si quis dicat, Porta Di, Di; Renego Di, Di; Alcospelto Di. Di. omissa
litera O, sit censendus blasphemus hæreticalis? Et an iurans per membra
honestæ Christi non sit blasphemus, & secus si per ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Addant, & sic ait: In materia fidei potest esse peccatum veniale, ut 10.4. tr. 6. ex doctrina Ref. 21. §. Dicendum, per totum.

2. Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam tueretur Castrum Palans tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 7. n. 2. Merolla tom. 1. disp. 2. cap. 4. dub. 7. n. 112. Alphonsus de Leone ubi infra. Baldellus tom. 1. lib. 3. disp. 14. n. 1. Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 4. n. 1. Molfesius in summa, tom. 1. tract. 8. cap. 8. n. 66. & alij asserentes, quod in aliquibus peccatis in quacunque materia minima reperitur integra ratio malitiæ sufficiens ad mortale, ut est peccatum infidelitatis, odium Dei, contemptus ipsius, &c. & ideo Baldellus in disp. Theol. tom. 1. lib. 3. disp. 14. num. 13. sic ait: Quin ratio obiecti per se prima in actu infidelitatis est ut fides negetur ipsi Deo aliquid revelanti, & ex hac sola præcise, considerata fundatur oppositio gravis ad virtutem fidei, & malitiæ gravis non dicitur, quod in actu infidelitatis possit dari materiæ parvitas, & culpæ levitas, sed omnis materia in ordine ad illam sit notabilis, & omnis culpa sit gravis, etiam si alioqui in se ipsa sit res minima.

3. Nota tamen quod Alphonsus de Leone de officio Confessor. par. 1. recoll. 7. num. 45. non negat esse verum exemplum possum à Sayro de levissimo verbo sapiente heresim, nam ipse concedit esse posse peccatum veniale.

RESOL. IX.

An in Sorilegiis, & Magia detur parvitas materiæ?

Et an possit fieri, ut aliqui actus magici excusentur à peccato mortali ratione ignorantia? Ex p. 5. tract. 5. Ref. 29.

§. 1. **R**espondeo negativè cum Lessio lib. 2. cap. 44. dub. 4. n. 26. ubi sic ait: Peccatum magiæ ex genere suo est mortale, quia continet tacitam, vel expressam dæmonis invocationem, ac proinde societatem & benevolentiam erga illum; fieri tamen potest ut aliqui actus magici excusentur à peccato mortali, ratione ignorantia, ut si quis ignoret, vel non advertat tacitam illam invocationem, cum hæc sit sæpè valde occulta. Plerumque tamen ingeritur homini aliqua suspicio latentis mali, ratione cuius tenetur abstinere, donec plenius de re cognoverit, quod si non faciat, peccat factum venialiter. Ratione levitatis materiæ præcise non videtur unquam esse veniale, quia quod in re parva, vel ludicra dæmon invocetur, per se non minus crimen est, quam si id fieret in magna. Similiter tacita, vel remota invocatio, si plena consideratio adit, est ejusdem rationis, ac expressa: sæpè tamen contingit, ut quando res est modica, non apprehendatur mali magnitudo, & sic potest esse veniale defectu animadversionis. Ita ille, cui adde Castrum Palans tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 7. num. 2. Alphonsus de Leone de officio Confessor. par. 1. recoll. 7. n. 42. Valentiam tom. 3. disp. 6. quest. 12. punct. 4. Delrium in disquis. mag. lib. 4. cap. 2. §. 4. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 38. n. 18. & alios.

RESOL. X.

An laicus doctus possit disputare cum heretico?

Et explanatur, quid in cap. Inhibemus, significent illa verba, Inhibemus, ne cuique laicæ personæ, &c?

Et an Religiosi Laici, seu Conversi, Donati, & Sancti-

moniales comprehendantur sub dictis verbis? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 12.

§. 1. **N**egativè respondet Villalobos in sum. tract. 1. §. 1. diff. 7. §. 4. Suar. de fide, disp. 20. sect. 1. n. 11. Azorius tom. 1. lib. 8. c. 26. q. 1. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. c. 6. n. 5. & alij, & ex c. Inhibemus de heret. in 6. ubi prohibetur expresse laicus sub excommunicatione disputare de fide Catholica, licet laicus sit doctus, tamen adhuc obligatur, & includitur sub dicta prohibitione quia cessante privative in singulari sine legis, non cessat in singulari ejus vis.

2. His tamen non obstantibus ego puto contrariam sententiam esse probabilem, quam tueretur Caietanus & Bañez in 2.2. q. 10. art. 7. Ledesma in summa, tom. 1. tract. 1. cap. 5. concl. 13. & Hurtados de Mendoza in 2.2. q. 1. diff. 7. §. 3. §. 24. quia talis prohibitio facta est à lege, ne periculum creetur disputanti, aut audienti, & nullum alium finem, nec proximum, nec remotum, proposuit sibi ea lex. Sed cessante fine legis in particulari, cessat ejus obligatio, ut alibi satis probatum est: ergo, &c. Et ita hanc sententiam probabilem esse docent ipsi adversarii, ut Sanchez, & Villalobos ubi supra.

3. Sed obiter hic explicandum est, quid in dicto cap. Inhibemus, significent illa verba, Inhibemus, ne cuique laicæ personæ, &c. Sanchez ubi supra, numero 6. & Lorca in 2.2. quest. 10. art. 7. putant sub illis verbis comprehendere omnes, qui nec Clerici sunt, nec Religiosi. Hurtados autem docet significari omnes, qui continent tonsuram & habitum clericalem, etiam Religiosos, & præsertim qui in Religione vocantur Laici, seu Conversi, Donati, &c. Sed quid dicendum de Sanctimonialibus, comprehenduntur sub dictis verbis? Negat Lorca illas hoc canone præstringi, sed mortuus affirmat Hurtados.

RESOL. XI.

An si quis dicat Polta Di Di, Renego Di Di, Al dispetto Di Di, omiffa littera O, sit censendus blasphemus hereticus?

Et an jurans per membra honesta Christi non sit blasphemus, & secus si per inhonestia?

Et an qui eodem impetu & actu plures blasphemias contra unum Sanctum præfert committat ut peccata, quas sunt blasphemias?

Et quid, si blasphemias diversis generis sint, & non sint una, & eadem sapius repetita? Ex p. 6. tr. 8. & Misc. 1. Ref. 38.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Auctor Canonum suum Conscientiæ Bononiæ discussores anno 1634. mense Martio decis. 3. ubi sic habetur. Sempronius, ex ira solet impie dicere Putana de Dio, sed paulo post subdit Bacco, vel Al dispetto de Di, omiffa littera O, quaeritur an sit blasphemus hereticus? Respondetur Sempronium si cum advertentia sufficienti verba protulit, fuisse blasphemum hereticalem, in primo enim dicto tribuit Deo per contumeliam aliquid ei omnino repugnans, & in secundo abtulit quod Deus habet. Quamvis enim in primo dicto addiderit paulo post verbum Bacco (si tamen ad fugiendam blasphemiam non erat solitus illud addere) & in secundo omiserit litteram O. In utroque tamen casus est completa blasphemia heretica, cum sit completus verborum sensus blasphemiam continentium. Ita ille, qui citat Lazarium, & Bonacinum.

2. Sed contrariam sententiam docet novissime Ricciolus tract. de Personis quas in statu reprobo versantur, lib. 1.

lib. 1. cap. 4. num. 18. quia talia verba non sunt perfecta. Nec valet dicere quod affectus cum principio facti equiparatur facto, ex l. Si quis seruo alieno, ff. de furt. At proferens dicta verba satis offendit affectum, & principium facti blasphemandi. Ergo. Nam respondet in hoc argumento assumi illud de quo est questio: non enim est verum quod confiter de affectu, cum ille colligi nequeat, nisi ex sermone, qui cum in verbis prædictis non sit perfectus, incivile est illa iudicare, ex l. incivile, ff. de legibus. Et huic sententia Ricciulli ego adhaereo.

3. Non assentior tamen eidem Ricciullo. assentienti in cap. 1. num. 7. qui eodem impetu, & actu plures blasphemias contra unum Sanctum proferet, committere tot peccata quod sunt blasphemias, non inquam assentior huic opinioni: sed contraria, quia moraliter censetur unus numero actus, & omnes blasphemias sunt partes unius continuati sermonis, & ita si quis alterum semel & iterum pugno percuteret absque temporis intervallo unum numero tantum peccatum pariterer. Et hoc intelligendum est etiam si blasphemias diversi generis sint, & non sint una & eadem sæpius repetitas nam etiam si diversi generis sint, tamen ratione temporis & unius impetus quo dicuntur, univertuntur & una censentur. Et ita docet Fagundes in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 3. n. 24. & alij penes ipsum, quibus adde me citato Trullench. etiam in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 2. n. 5.

4. Item non assentior eidem Ricciullo qui in cap. 6. num. 11. docet jurantem per membra honesta Christi esse blasphemum, nam hoc esset verum si juraret per membra inhonestas, sed per alia membra; quia sic ex his nil attribuitur Christo quod verè non habeat, & ei conveniat, & si talia iuramenta ita reverenter fiant, non esset culpam venialem docet Fagundes loco citato, numer. 14. unde nec frequens consuetudo facit ut talia iuramenta blasphemias censentur, aut peccatum mortale.

RESOL. XII.

An in blasphemias contra Deum, & Sanctos, detur paritas materia?
Et notatur, quod convitium in Sanctos, non ut Sancti sunt, sed ex alio capite potest esse peccatum veniale ex paritate materia, ut si quis per jocum diceret Sanctum Crispinum & Crispinianum fuisse futores, & Sanctum Joannem, & Paulum fuisse Eunuchos.
Et quid, si per hyperbolem feminam vocat Deam? Ex p. 5. tr. 5. Ref. 3.

Respondeo negativè, quia omnis blasphemia notabiliter adversatur virtuti Religionis, & charitatis erga Deum, ergo omnis blasphemia erit peccatum mortale. Secundò blasphemiam gravem infert Deo injuriam, ejusque honorem & cultum valde diminuit, nam si gravis & atrox injuria dicitur esse illa, quæ infertur à vili persona Magistratui, vel Senatori in illos maledicta proferendo, §. atrox. Instit. de injur. & h. pravor, §. atrocem, ff. eodem. quanto magis erit gravis illa injuria, quæ infertur Deo per blasphemiam? ergo ratione materiae non potest esse nisi peccatum mortale. Deinde blasphemia est peccatum, quia proferitur verbum contumeliosum in Deum cum animo de-honorandi Deum, vel directè, vel indirectè, seu interpretativè, seu virtute, at Deus dehonatur non solum cum blasphemus Deo falso tribuit res magnas, sed etiam minimas: ergo blasphemia non poterit ratione materiae unquam esse peccatum veniale. Et ita docet Sylvius in 2. 2. quæst. 13. art. 2. & ibidem Aragon. & Boñez. Hurtado de Mendoza de fide vol. 1. disp. 91.

sect. 1. §. 48. Valentia tom. 3. disp. 1. quæst. 13. punct. 1. Cajetanus in sum. ver. blasphemias. Suarez de Rege. to. 1. tract. 3. lib. 1. cap. 6. num. 2. Sayrus ubi infra, cum Jacobo Gordono in sum. tom. 2. lib. 6. quæst. 8. cap. 2. num. 4. & aliis.

2. Verum his non obstantibus affirmativam sententiam docet Villalobos in summa tom. 2. tract. 1. diff. 15. num. 5. ubi sic ait. [Digo que la blasfemia es peccado mortal de su naturaleza, porque es contra la honra de Dios, verdad es, que por no aver llena deliberacion o por inadvertencia podria ser peccado venial como dize S. Thomas, Caetano, y Sylvestro; mas la duda es, si ay aqui peccado venial por paridad de materia? Bañez y otros dicen, que no por ser cosa gravissima la honra; mas à mi pareceme lo contrario, que assi como todos los peccados son offensa de Dios, y no obstante esso ay peccados veniales, porque son leves offensas, assi aqui, y tal me parece, quando algunas vezes se traen palabras de la sacrada Escritura à proposito de hurlas con poca reverencia; y lo mismo quando un organista que sabe muy poco en una aldea tañe en lugar de xrylic, una vacas, ò un sonezito (porque no se le alcanza mas) al, Ite Missa est de la Pascua.] Ita ille.

3. Et nota quod stando etiam in prima sententia convitium in Sanctos, non ut Sancti sunt, sed ex alio respectu, potest esse peccatum veniale ex paritate materiae, ut si quis per jocum diceret, Sanctos Crispinum & Crispinianum fuisse futores, & Sanctos Joannem & Paulum fuisse Eunuchos. Et ita docet Duallius in 2. ex ref. 8. lege doct. §. ult. 2. D. Th. tract. de fide q. 9. art. 2. Sanctarellus tract. de blasphemias cap. 4. dub. 2. n. 8. Sayrus in Clavi Regia lib. 6. cap. 13. n. 5. Sylvius in 2. 2. quæst. 13. art. 2. & ibi Bañez, Aragon. Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 3. 2. num. 42. & alij. Sed hanc opinionem non admittit Lorca in 2. 2. q. 13. art. 2. n. 9. ubi sic ait: Est blasphemia ita grave peccatum, ut non possit fieri veniale, nisi solum ex defectu deliberationis. Nam quod aliqui dicunt posse fieri veniale, si non serid, sed joco proferatur, non approbo, quoniam illicitus est jocus, in quo injuria Dei involuitur, nec propter jocum deficit ratio injuriæ, imò joculari in rebus tanti momenti, specialis blasphemia est, nisi quis vocet jocum, quod non ex animo significandi, quod verba sonant, proferatur, scilicet si per hyperbolem, ut qui feminam vocat Deum, id enim veniale ref. seq. erit. Unde puto saltem quoad hoc ultimum utramque sententiam probabilem esse.

RESOL. XIII.

An qui vocat Amasiam Deam, vel Idolum suum, sit blasphemus? Ex part. 5. tractatu 13. & Miscell. 1. Ref. 20.

Quidam Confessarius scrupulosus, & parum sciens, affirmativam sententiam olim docuit. Sed talem non esse blasphemiam dicendum est. Et ratio erit, quia verba hæc nec proferuntur, nec accipiuntur in significatione propria, sed in hyperbolica. Et ita docet Lorca in 2. 2. q. 13. art. 3. n. 9. & Hurtados de Mendoza in 2. 2. disp. 91. sect. 4. §. 16.

DE ABSOLUTIONE AB HÆRESI, & aliis delictis pertinentibus ad S. Inquisitionem.

RESOL. XIV.

An Episcopus possit committere absolutionem ab hæresi, saltem